

## ANGLIA.

**B**RITANIA omnis, quæ hodie Anglia & Scotia duplice nomine appellatur, & duo regna in se continet, totius nostri Orbis Insula maxima est; Oceano, mari Germanico & Gallico ambitur. Cuius pars maxima, & Australior, nunc Anglia, ab Anglis qui eam occupauerunt vocata, proprium habet Regem, & in triginta diuisa est conuentus, quos Comitatus vocant. Hi Comitatus in septendecim diuisi sunt Pontificales Iurisdictiones, quas Græci dicunt Diœceses. Hæc autem Anglia ab Ortu & Austru terminatur Oceano; ab occasu Solis Wallia & Cornubia finibus; à Septentrione Tueda flumen est, quod discriminat eam à Scotis. Terra est frugifera, pecore maxime abundans: quò fit, vt incolæ quasi plures pecuarij quam aratores sint; quid magis fermè pabulo quam aruo colendo studeant; sic vt tertia propemodum terræ pars tantum pecori relicta sit inculta. Regio est quocunque anni tempore temperatissima, atque cœli nulla grauitas, adeò vt rari sint morbi, & inde minor Medicinæ usus, quam alibi. Terræmotus hic ferè nunquam Fulmina admodum rara Solum est fœcundum. Sed vinum tellus non gignit. Pro vino cereuisia in usu est. Colles paſſim multi, nullis arboribus confiti, neque aquarum fontibus irrigui, qui herbam tenuissimam atque breuissimam producunt, quæ tamen oibis abunde pabulum suppeditat; per eos oium greges candidissimi vagantur, quæ, siue cœli, seu bonitate terræ, mollia, & longè omnium aliarum Regionum tenuissima ferunt vellera. Hoc vellus verè aureum est, in quo potissimum insulano-rum diuitie consistunt: nam magna auri & argenti copia à negoziatoribus eiusmodi imprimis coëmende mercis gratia, in Insulam quotannis undique apportatur. Nullum animal venenatum gignit. Piscium omnis generis copia redundat. Ostrea non alibi delicatoria, nec plura. Fert aurum, argentum, stannum, plumbum; & ferrum, sed eius exigua copia.

## SCOTIA.

**S**COTIA reliquam Insulæ partem sibi vendicat; quæ paſſim portus habet tutos, & aditus marinis aquis peruios: Item lacus, paludes, fluuios longè plenissimos piscibus. Linguam habent cum Anglis communem. Et cum raræ hic silvae, ignem faciunt ex nigro carbone, quem ex terra effodiunt. Differunt ab Anglis, Legibus, & Institutis: quia isti Ciuite ius usurpant, illi vero municipale tantum habent.

## HIBERNIA.

**H**IBERNIA Britanniæ Insulæ ab Occidentali parte vicina, cœlo & solo non multum differt nisi quod montosior est, & aquæ abundantior, quippe quæ in æditissimis etiam montibus paſſim paludes & stagna habet. Vrbs Dublinum totius Insulæ caput. Pars Insulæ Orientalis quæ Angliam respicit, eidem regno paret: reliqua pars, quæ occidentalem spectat, tota siluestris est incultaque, & à pluribus Regulis possidetur. Hæc ferè delibauimus ex Polidoro Virgilio, qui fusissime, doctissimeque has Britannicas Insulas descripsit. Idem Paulus Iouius; Ioannes Maior Scotus; Robertus Cœnalis, Perioche 2. de re Gallica; Gregorius Lilius; Syluester Giraldus Cambrensis; Guilielmus Paradinus; Ant. Sabellicus; Enn. 10. lib. 5. Beda Presbyter; vt antiquiores, vti Cœarem, Tacitum, & ceteros fileam. Scotiam seorsim descripsit Hector Boëthus magno volumine.

De MONA Druidum Insula, antiquitati sue restituta, habes in calce huius libri, Hunfridi Luid doctissimam epistolam.

ANGLIAE, SCOTIAE, ET HIBERNIAE, SIVE  
BRITANNICAR: INSVLARVM DESCRIPTIO.

Britannia om̄ insularum Occidentis & Septentrionis  
maxima & potentiss. est. cuius potiorem hodie par-  
tem Angiam vocamus, ab Angl̄ videlicet Saxonum  
gente, quę sub Valentiniano eam ingressa, tenuit. Hęc  
veteribus Albion dicebatur, ad differentiam, quum re-  
lique ōes eō tractu Britannicę dicebantur. Ab Oca-  
ſu vicinam habet Hiberniam, hodie Irlandiam ap-  
pellatam; & regib⁹ Anglię subditam.



